

## 3. Propositio.

*Propositio est quæ summam negotii totius complectitur. Estque veluti Scopus & meta quædam ad quam omnia confirmationis argumenta collimare oportet. Alio nomine dici potest thema, Thesis: de quo supra. Hæc licet varia peneque infiniti generis pro rerum tractandarum diuersitate & dicentis intentione: Tamen modis quibusdam distingui potest, videlicet quod propositio alia *simplex* sit, alia *multiplex*.*

*Simplex cum unum quiddam proponemus. Sic Orationis pro Milone una est propositio, videlicet Clodium à Milone iure esse occisum.*

*Simplex rursus distingui potest in *officiosa* & *criminosa*.*

*Officiosa rursus Petitoria, Consolatoria, Suasoria, Defensoria, Commendatitia.*

*Criminosa* est vituperatoria, accusatoria vel obiurgatoria.

*Multiplex* est cum in oratione vel plures sunt propositiones quarum una principialis, altera minus principalis. Ut in oratione pro Archia: vel etiam cum unam rem proponimus, sed eam in membra seu partes distribuimus, unde etiam talis propositio, enumeratio partium, partitio seu diuisio dici potest.

Ut in Oratione pro lege Manilia hæc proponit Orator cum ait primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore diligendo esse dicendum. Sic in oratione pro Muræna. Tres ait, totius accusationis partes, quarum una in reprehensione vitæ, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus versatur.

Sic Virgilius Georgica in quatuor membra distribuit cum ita cecinit.

1. *Quid faciat, latas segetes, quo fidere Terram*
2. *Vertere Mecænas vlmisque adiungere vites*
3. *Conueniat: que cura boum quis cultus habendo*
4. *Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis*

*Hinc canere incipiam.*

Eiusmodi propositio per partitionem in orationibus & concionibus sacris crebro usurpari solent.

Observandæ autem hic 1. *Conditiones* bonæ partitionis. Debet esse *brevis* & *absoluta*. *Brevis* ut pote paucis membris constans, tribus videlicet aut quatuor ad maximum. *Absoluta* ut omnia quæ in causam illam incidere possunt, complectatur. 2. *Membra* propositionis iuxta naturæ seriem digerenda & tractanda, ut Causa, Effectum, Subiectum, Adiunctum præcedant. Vnde Cicero non immerito primum de bello tanquam subiecto eiusque genere & magnitudine; postea imperatore se dicturum proponit. 3. *Vitandæ sunt oratori crebriores subdistinctiones?* Quas improbat Quintilianus lib. 4. cap. 5. cum ait, *Concisa nimium & veluti articulosa*

N

euitan-